

M A N T V A

D V C A T V S.



Gallia
Trans-Pa-
dana.

Soli quali-
tatis.

Mantuan:
Ducatus fi-
nes.

Mantua
descriptio.

Allia Cis-Alpina versus occasum duplex est Straboni, Plinio, aliis, vel *Cis-Padana*, vulgo *Lombardia* di qua dal Pò, vel *Trans-Padana*, di là dal Pò, illa quod cis, hæc quod trans Padum. *Transpadana* fines ab Ortū Mincius & Sarca fluvii, cum dextra Benacilacus ripa: A Septentrione Alpes Italiam ab Helvetia separantes: qua Occasus est, eadem Alpes Italiam à Gallia dirimentes, ducta usque ad Varum linea: qua denique Meridies, magna Padi portio. Totam regionem his coloribus delineat Leander: Naturæ luculentissimis dotibus varie locupletatam esse, campos enim latissimos; & tritici, aliarumque frugum, item vini nobilis abundantia beatos habere: lacus insuper immensos & altos, insignia flumina, tam piscium capturæ, quam navigationi opportuna: felicem denique ibi esse ingeniorum excellētiā, qua cum ad litteras & arma, tum ad mēcaturam promptissima. Habitarent quondam hanc Italiam partem plurimæ gentes, *Tusci*, *Cenomani*, *Insubres*, *Mesauci*, *Bechuni*.

Post Ducatum Mediolanensem, & Venetorum ditionem, partem quoque ejus non ignobilem constituit Ducatus MANTVANVS. Is partim est in Lombardia Cispadana, partim in Transpadana, circumvallaturque à Venetorum dominio; siquidem Veronensem agrum habet à Septentrione, & ab Ortū, (qua parte Ferratiæ quoque Ducatum attingit) ab Occasu autem habet Brixense territorium, sed & Cremonense, quod ad statum Mediolani pertinet: à Meridie autem Mutinæ Ducatum habet, ac Mirandulanum Principatum. Huic tamen Ducatu proximi sunt aliquot Imperiales feudatarii, qui alias sub eodem continebantur, velut sunt Sabloneta, Guardistallum, Castillionum, vulgo *Dalte Stivere* dictum, Nuvolaria, & Gazoldum, atque etiam Corrigiente dominium prope est. Metropolis ejus est Mantua, hodie Mantoa. Conditam ferunt quidam à Manto Tiresiae vatis filia: nonnulli ab Oeno Bianore, Tuscorum rege, & Mantū ipsius matris nomine nuncupatam. Virgil. lib. x. *Aeneid.*

Ille etiam patriis agmen ciet Oenus ab oris;
Fatidica Mantū, & Tusci filius amnis,
Qui muros, matrisque dedit tibi Mantua nomen:
Mantua dives avis, sed non genus omnibus unum.
Gens illi triplex: populi sub gente quaterni:
Ipsa caput: populis Tusco de sanguine vires.

Initium urbis variis ponunt variè. Aretinus

Italia.

ccc circiter ante Romam conditam annis: ante Mediolanum ccc: ante Cremonam & Placentiam 1000, sed infirmo fundamento. Leander anno ante bellum Trojanum lx, non firmiore. Quicquid sit, antiquissima ipsi est origo. Posita est in medio paludum, quas Mincius ex lacu Benaco egressus creat; nec nisi pontibus, qui eximii admodum, adiut. Hinc ob naturam loci munitissimis Italiae concensenda. Ampla est, & magnifice publicis ac privatis ædificiis ornata, rectisque plateis decora. Templo Cathedrale pulcherrimum: forum satis amplum, in quo horologium summæ artis monumentum. Arcem habet munitam. In Curia, quæ splendidissima, locus est, qui *La Grotta* vulgo, rebus preciosissimis, multisque antiquitatum monumentis ab Isabella, Francisci Marchionis ultimi conjugé, refertus. Videre ibi est duos Cupidines excellētis operis, cornu insigne Monocerotis, precii magni gemmas, va- faque aurea & argentea innumera. *Vngari* locū vocatur, ad perpetuam rei memoriam, quod Vngari aliquando urbem everterint. Episcopatus floret dignitate. Incolæ ad litteras, arma, mercaturam apti promptique. Concilium hic habuerunt, Nicolaus II, & Pius II, P.P. M. M. Ortū natalibusque superbit Virgilii, Poëtarum apud Latinos principis. Natus tamen hic in vi- co Andis, hodie *Petola*, altero ab urbe lapide: Hinc Silius lib. viii: *viri clari.*

Mantua mittenda certavit pube Cremonæ:

Mantua Musarum domus, atque ad sidera cantu
Erecta Andino, & Smyrnais annula plectris.

Produxit quoque Mantua Franciscum, Sigismundum, Francisci ultimi Marchionis fratrem; Pyrrhum, fratrem Lodovici, Herculem, Friderici primi ducis fratrem Gonzagas omnes Cardinalium ordini adscriptos: Georgium Andriassum, Regii Lepidi Episcopum: Baptistam, Carmelitarum sodalitatis antistitem, theologum & poëtam: Marcum Guacium, historiographum: Matthæum Silvaticum, summum philosophum. Militares duces cum aliis, tum ex nobilissima Gonzagarum gente, memorant alii. Sanctos numerat Mantua Ioannem Bonum Eremitam, Osannam Andriassam Dominicanam, Matthæum Carrarium, Prædicatorii ordinis morachum.

Imperium fuit penes Tuscos, urbis auctores: hinc penes Gallos Cenomanos: post quos Romanī rerum ibi sunt potiti. Maximam sub Triumviratu cladem tulit. Quum enim Cremona victoribus in spolium esset data, propter viciniam, magnam agri sui partem amisit. Hinc Virgilius:

Mantua ræ misera nimium vicina Cremonæ.

Y

*Principes
res ge-
stæ.*

Suc-